Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8343
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Papalia

Paschalis episcopus servus servorum dei dilectis filiis Berengario et canonicis commorantibus salutem et apostolicam benedictionem. Pie postulacio voluntatis effectu debet prosequente compleri, quatenus et devocionis sinceritas laudabiliter enitescat et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Proinde filii in Christo karissimi vestris iustis postulacionibus annuentes alodia circa villam scilicet Berchtesgaden et Niderhaim cum aliis suis pertinenciis que pro remedio anime sue et matris sue deo et beato Petro sub annuo censu obtulisti sub tutelam apostolice sedis suscipimus. Statuimus itaque ut nulli omnino liceat predicta alodia beato Petro subtrahere, minuere vel temerariis vexacionibus fatigare, sed omnia integra conserventur utilitati et sustentacioni monasterii quod largiente deo in eisdem alodiis edificare cepistis. Si quis vero huius nostre constitucionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo terciove commonita si non satisfactione congrua emendaverit, sciat se omnipotentis dei indignacione et terribili sui examinis iudicio feriendum. Dat. Laterani xiii Idus Aprilis.

[illegible] Salzb.

Calixtus episcopus servus servorum dei dilectis filiis Eberwino preposito et eius fratribus in ecclesia sanctorum Johannis et Martini que in Salzburgensi pago in loco videlicet qui Berchtesgaden dicitur sita est regularem vitam professis tam presentibus quam futuris in perpetuum. Preceptum domini hortatur intrare per angustam portam quia angusta via est que ducit ad vitam. Quia igitur vos filii in Christo karissimi per divinam graciam aspirati estis mores vestros sub regularis vite disciplina coercere et ut angusta ingredi valeatis [illegible] communiter sanctorum patrum constitutorum [illegible] domino deservire proposuistis, nos votis vestris paterno congratulamur affectu. Unde et peticioni vestre benignitate debita ~~impertientes~~ impertientes assensum religionis propositum presentis privilegii auctoritate firmamus. Statuimus enim ut nulli omnino homini liceat vite canonice ordinem quem professi estis in vestra ecclesia immutare. Neminem eciam professionis vestre facultas sit aliqua levitatis instinctu vel arctioris religionis obtentu sine prepositi vel congregacionis licencia de claustro discedere, quod si discesserit nullus episcoporum nullus abbatum nullus monachorum sine communium litterarum caucione suscipiat. Quam diu videlicet in ecclesia vestra canonici ordinis tenor domino prestante viguerit, sane [illegible] ecclesiastica sacramenta a diocesano suscipietis episcopo, siquidem graciam atque communionem apostolice sedis habuerit, et si ea gratis ac sine pravitate voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis pro eorundem sacramentorum susceptione catholicum quem malueritis adire

28.